

Exigua igitur scedula seriem et nomina simul et annos regum Anglorum complecti fecimus. Tum vero grandiuscule narrationis illecta desiderio facile dulcedine, qua pollebat, effecit, ut plenam de antecessoribus eius meditari fecissemus historiam. Maius itaque moveri fecimus de regibus opus profuturum, ut dicebat, illorum noticie, sue glorie, nostre ecclesie utilitati et fame.

Sed vix imperatis institeramus, cum illam repente Fortuna profectibus Anglie invidens immortalitatis, ut speramus, sedibus dedicavit. Quo merore consternati decrevimus stili abiurare studium, cum videremus exisse de medio hortatricem studiorum. Enimvero procedente tempore rupere silentium tum amicorum petitio, tum rei utilitas, quia videbatur et erat indignum, ut tantorum virorum sepeliretur memoria, inmorentur gesta.

Nunc autem liber iste, cum totus de vestris tractetur progenitoribus et quam potenter rerum opifex imperiale genus vestrum ad vos usque perduxerit, nulli mortalium iustius quam vobis mitti potest. In eo etiam experiri potestis, quod nullus eorum, quorum liber presens continet memoriam, nec rex aliquis nec regina aliqua regalius vel splendidius vobis Anglorum regni hereditarii iura expectaverit.

Suscipiat igitur imperialis clementia vestra exiguum munus et munere nostro dominationem nostri. Preterea, que vobis per libri latorem mandamus, pro anima matris vestre et antecessorum vestrorum omnium imperialiter audite et nobis misericordiam impendere curate.

Valeat imperialis vestra dignatio.